

## CAPUT V.

**C**AUSÆ externæ sunt omnes illæ, quæ extrinsecus fluxiones varias diversimodè ciere valent, & comprehenduntur sub iis, quæ assumuntur, geruntur, & foris corpori obveniunt.

§.1. Inter ea, quæ *assumuntur*, in primis est *vivendi ratio in cibo & potu*: etenim qui lautè vivunt, cibis quæ plurimi succi, multi quæ nutrimenti vescuntur, certè anam præbent sanguini copiosè gignendo, quæ postmodum mole suâ molestus, vasa rumpere solet. Huc & illi spectant, qui generoso & meraciori vino sæpius inebriantur, quod sanguinem accendit, qui accensus plurimorum malorum auctor postea existit. Nec ii immunes, qui ea appetunt, quæ peculiari qualitate faucibus infesta, ut sunt cerasa, fungi, solanum majus, *Italica herba bella donna* dictum, aconitum, andacocha trifolii species. Utrum autem vera sit angina, quæ ab his & similibus occulto modo eam producentibus oritur, de eo videatur *Sennertus & Zacutus Lusitanus dictis locis.*

§.2. Ad ea, quæ *geruntur*, pertinet conditio vitæ: hinc qui frequenter & validè clamant, gutturis quæ partes vehementius exercent, morbo huic facilè fiunt obnoxii. Ad classem horum referuntur præcones, Cantores, venatores, & histriones illi, qui super manibus, capite ad terram pronò, incedentes, sanguinem ad guttur & fauces convertunt. Hic non excludendæ nimix animi commotiones, ira, excandescentiæ cum vociferatione, & alia sanguinem humores quæ concitantia.

§.3. Inter ea, quæ *extrinsecus corpori obveniunt*, est primò aëris constitutio frigida & humida, quæ destillationibus & fluxionibus apprimè est idonea. De hac ita *Hippocrates* (o) Νοσήματα ἐν μὲν τῆσιν ἐπομβρίησιν ὡς τὰ πολλὰ γίνεται πυρετοί τε μακροί, καὶ κοιλίης ῥύσιες, καὶ σηπεδόνες καὶ ὀπίληπτοι, καὶ κωάγχαί. *Affiduis imbribus morbi ferè fiunt febres longæ, fluxiones alvi,*

(o) f. 3.  
aph. 16.